C. PLINII CAECILII SECVNDI EPISTVLARVM LIBRI

I, 1

C. Septicio Claro, praetorio praefecto, fautori suo, eius consilio se usum epistulas maiore cum cura scriptas ad edendas collegisse nuntiat.

GĀIUS PLĪNIUS SEPTĪCIŌ CLĀRŌ SUŌ SALŪTEM DĪCIT.

1 Frequenter hortātus es, ut epistulās, sī quās paulō cūrātius scrīpsissem, colligerem pūblicāremque. Collēgī, nōn servātō temporis ōrdine (neque enim historiam
2 compōnēbam), sed ut quaeque in manūs vēnerat. Superest, ut nec tē cōnsiliī nec mē paeniteat obsequiī. Ita enim fīet, ut eās, quae adhūc neglēctae iacent, requīram, et, sī quās addiderō, nōn supprimam. Valē.